



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anima Historiae Hujus Temporis In Invicto Caroli V. Et Ferdinandi I. Fratrum Imperio, Repræsentata

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1672

Reverendissimo ac Celsissimo Principi Ferdinando Dei Et Apostolicae Sedis
Gratia Episcopo Paderbornensi, Coadjutori Monasteriensi, S. R. I. Principi &
Comiti Pyrmontano, &c. Domino suo Clementissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28359

REVERENDISSIMO ac CELSISSIMO
PRINCIPI

FERDINANDO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

Episcopo Paderbornensi, Coadjutori Mona-

steriensi, S. R. I. Principi & Comiti Pyrmontano, &c.

Domino suo Clementissimo.



Historiam Tuis demissè oculis exhibeo, *Celsissime Princeps*, honoris observantiæque Tibi jam pridem à me debitæ testem ac monumentum. Dignissimus enim omnium nostrum veneratione & amore es, si doctrinam virtuti junctam amemus in Viro Principe. Et quid ni amemus, in auro gemmam, in cælo Solem, in mundo diem? *Licet virtus*, ait Romanæ eloquentiæ Princeps, à natura quosdam impetus sumat, tamen *perficienda doctrina est. Et si ad naturam accesserit eruditio, singulare quid existere solet.* Nemo igitur mihi indignabitur, si de Tua *Celsitudine* liberè pronuntiem: singularis es. Ingenium Tibi natura excelsum dedit, igniculosque laudabilis gloriæ nihil humile abjectumque aspirantes. Ad didisti his liberalium disciplinarum plusquam vulgarem culturam, exquisitum historiarum antiquitatisque reconditæ studium, linguarum, Philosophiæ, Canonum profanorum, sacrorumque peritiam, ac quidquid denique humanæ divinæque eruditionis palmam obtinet, ad hanc in literatorum palæstra, non ultima certandi gloria, animum manumque extendisti. An fortè ex Sapientum Coryphæo Platone cognoveras, quod *magna ingenia, nisi rectè instituta literis fuerint, quæ mores emolliunt, tantò deteriora evadant, quanto in illis majores igniculi extiterint?* Ideoque non minori vitiorum odio, quàm bonæ institutionis amore

Cicero
pro At-
chia.

Plato
de rep.

amore

DEDICATIO.

amore flagraſti? Ingenium natura, igniculos acuebat cupiditas, virtutum juxta ſclerumque irritamenta. Ornasti ſapientiã ingenium, cupiditatem ad honesta eruditione exacuiſti, quæque ad ignominiam ſecti poterant, immortalī laude extuliſti. Et quis hunc in Te ſtudio- rum ardorem, niſi honestatis inimicus poterit accuſare? Nunquid jam tum præſaga in Te mens aliquem ſibi Principatum deſpondit, adhuc privata nobilitatis ſeptis finibusque circumſcripta? Patere liberam ex me vocem: ambitioſus fuiſti, jam tum in Romanis eruditorum ſubſelliis Principem captaſti & occupaſti locum laudemque, verè Princeps priuſquàm ſuffragiis Paderani Cleri votisque Alexandri Pontificis legereris. Et ille Tibi literatorum Principatus ad hunc Episcopalem nobiliſſimus gradus fuit. Priſco more Perſarum, ut apud Vopiſcum in Tacito eſt, & præſenti Sinarum, qui doctiſſimos quosque ad gubernationem populorum ex Academiis deligunt, ad Paderanam Cathedrã Mitramque aſcendiſti. Animo priuſ, quàm corpore, ad ſumma quæque honorum penetraſti. *Longè, ait Philoſophorum Antesignanus ſuis in Rhetoricis, pulchrius eſt, magisque regium, benè conſtituto eſſe animo, quàm corpus principali cultu ornatum habere.* Et Alphonſi Arragonum præſtantiſſimi Regis, apud Panormitanum, libera & digna Sapiente Rege profeſſio eſt: *Malle ſe privatim vivere cum eruditione, quàm in principatu ſine illa.* Vnde, inter regia ſua inſignia, apertum librũ, præ ſceptro coronisque, habuit. Et quo, obſecro, nomine Princeps ſubditis anteterendus ſit, niſi qui ductor inſtructorque reliquorum futurus eſt, animi doctibus atque in primis eruditione excellat? *Qui doctrina tincti non ſunt Principes, hos, vetus Scriptor Plutarchus, ſtatuſ colofis que haud multum diſſimiles arguit, honeſta foris cultos ſpecie, inſus lapidibus ac terrã refertos.* Nihil in homine immortalẽ præter animum, quo neglecto, quid habet æſtimandum? Quid ad rem publicam boni allaturus eſt Princeps, qui nihil præter vulgarem à natura animam corpusque, quibus reliquis mortalibus par eſt, moderandam attulerit? Peſtis reip. fuit Tyrannus Licinius, qui, Eutropio teſte, profiteri auſus eſt, *Peſtem Reip. eſſe literas:* Aptior qui porcis regendis præficeretur, quàm hominibus. Decus verò ornamentumque Europæ noſtræ, in primisque Paderbornæ cœlitus ad fidem illuſtratæ Magnus ille quondam Carolus fuit, cujus ut armorum excellens gloria, ita & literarum erat. Domi ille in Gymnaſio Muſarum, foris in arena Martis eminebat. Oden ille non tantum ad Lyram Apollinis, ſed & Bellonæ tubam aptare norat, & cum Romanorum primo Cæſare & altero etiam Imperatore Auguſto eandem capulo

manum

D E D I C A T I O.

manum calamoque commodare. Historiarum tanta audiendi voluptas, ut inter epulas etiam mensarumque apparatus, illarum lectione, ceu condimentum optimum, adhiberet, animumque non minus, quam corpus pasceret. Hoc ipsum, quem hic presentem exhibeo, Austriacum Heroem Carolum sedulam imitatione conlectatum exemplum fuisse accepimus, & oblectamenta palati majori haustae inter cibos lectionis voluptate temperasse, non eruditionis tantum, sed & virtutis emolumento.

Curæ Tibi esse, *Princeps inclyte*, historiarum, quæ studiosè evolvas, cum eximiis hisce Principibus, monumenta, nemo Tuorum nescit, quisquis honestissimas in Te occupationes arbitratur. Jam dudum ad illarum noscendarum desideria capacissimam mentem Tuam explicabas, nec unius Te patrii soli tantum antiquitates veterumque gesta, ac Majorum imagines, rerumque administratarum series, aut recentiorum gentis tuæ facinora per diversos scriptores hominumque memoriam sparsa distinebant; sed ad vicinas quoque regiones, earumque fastos, & factorum exempla cupiditatem sciendi extendebas, ut experti Trevirensium Annales sunt, qui in secretis etiamnum scriniis abditi Te latere non potuerunt; quin hos partim typo, partim calamo exaratos, ad partum aviditatis Tuæ extraheres, & ceu melligera apis succum hinc decerperes speratae eruditionis. Neque hac Tibi indulgentiâ factum satis, desiderasti Europæ totius bono publico hæc Antiquitatum recondita, Annalium secreta depromi, quo argumento illustres à Te literæ, & ad persuadendum apposita efficacesque prodire, quæ, cum ad aliorum incitamenta jungerentur, denique Eminentissimum Trevirorum Principem impulere, ut publici hæc esse juris permitteret. Debet igitur singulari quoque *Tuæ Celsitudinis* desiderio universus non solum Trevirorum, sed & Christianorum populus, quidquid ex historia illa nostra ad se commodorum promanarit. Jam si Te memorem non solum inter Lectores historicorum, verum & illarum rerum, quæ prisca vetustatis eruditionem sapiunt, minimè vulgares scriptores reperiri. Vidimus nuper *Monumenta Paderbornensia ex historia Romana, Francica, Saxonica*, ex antiquitatis tenebris, velut ex caliginosa specu in lucem eruta, metricisque culta inscriptionibus, tam exquisito Romani eloquii nitore, ut hæc licet Tuo ingenio ductæ fuerint; Veterum esse aurei seculi Poetarum videantur, & cum iisdem obsoletæ antiquitatis Monumentis, priscam unà Romanorum eloquentiam excitalle nobis videaris. Adjecisti *Commèntarii lectissimi Notas*, quo non solum

DEDICATIO.

Paderani agri loca, illustribus signata quondam Heroum vestigiis, factisque; sed reconditum quoque mentis Tuæ ex instructissimo historicorum apparatu thesaurum aperuisti. Ita illustrare hæc non poteris (quæ cultissimi ingenii Tui indoles est) quin magis illustrarere, & dum eximia Majorum prosequeris Monumenta, de Te nobilius posteris exponendum relinqueres. Sed prælibationem hanc solâ, velut ex Paderanæ historiæ promulsæ haurisse videmur, quando quidem & lautior Annalium apparatus, & harum etiam prælusionum nova opulentiorque instructio, velificante, celebratæ eruditionis viro, Doctore *Rottendorffio*, sub manibus est, jamque parte aliqua sui, figuris scitè ornata, lucubrationibus auctâ, aliisq; Ferdinandi ingenii argumentis locupletata, à cœlo typoq; emerfit. Quæ qui viderit, suoq; æstimarit merito, nâ, ille historiarum Tibi haud vulgarem mecum peritiam, suo repente suffragio, adstruet, dignamq; Te viro Principe in iis consecrari sapientiam lubens profitebitur. Ecquod enim Principis studium, vel ad utilitatem majus, vel ad voluptatem honestius poterit reperiri? Hoc ad præstantissima quæq; virtutum excitaris decora, & turpissimorû quorumq; scelerum in Te concilias horrorem. Historia, velut in speculo, & illarum Tibi pulchritudinem ac præmia, & horum fœditatem pœnasq; non una imagine factorum eventuumq; proponit. Hinc Claudianus disertissimus Vates sic affatur Honorium Imperatorè Consulemq;

Tu qua mox imitere legas, nec desinat unquam

Tecum Græcia loqui, tecum Romana vetustas,

Perfidiam damnas? Metu satiabere pœnis,

Triste rigor nimius? Torquati despice mores,

Mors impensa bonum? Decios imitare ruentes,

Vel solus quid fortis agas, te ponte soluto

Oppositus Cocles. Mutu te flamma docebit, &c.

Hæc si quis Poetæ minus credat, dabo Maximum optimumq; Imperatorem Basilium hac filium institutione, ad dignam Principibus vitam formantem. *Per historias veteres ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quod alii cum labore collegerunt, atq; illis hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitia humanae varias mutationes & rerum in ea conversiones, mundi hujus instabilitatem, & imperiorum præcipites casus, & ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia. Quorum illa fugias, ne in divine justitiæ manus incidas; hæc amplectaris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris. Illa sunt, Celsissime Princeps, quæ jam dudum Tibi ante perspicaces animi oculos habuisse propõsita videris, cum in Alexandri*
Roma-

Institut.
Basilii
ad filiũ
c. 56.

DEDICATIO.

Romani Pontificis conspectu, & familiari amore, quo intimus ipsi, atque à cubiculis quotidianus aderas, eademq; cum ipso studiorum communione fruebaris, quibus nunc ad poesios delicias, nunc ad historiarum memoriara, velut quoddam graviorum occupationum diverticulum ac lenimentum, illum pro more solitum divertere, & ipse ego, ingenium quondam Legati Apostolici, tum Monasterii Westphalorum, tum Aquis Carolinis expertus, multà consuetudine didici. Quando & mihi hic idem studiorum ardor gratiam apud eundem Fabium Chisiū eruditionis non minùs, quàm eruditorum amantem, cōciliabant. Quo tempore & hunc Meum Carolum non sine illius consilio & approbatione hisce scripturum lineamentis adumbravi; ut eundem tantò nunc libentius, cum in illius nequeam, in charissimi ipsius æstimatione, cum modestiæ, tum aliarum virtutum doctrinæq; cultu eminuisse, à fide dignis, eademq; ex aula prodeuntibus accepi, ut si quem amicè ad laudabile exemplar instructum vellet: (des verbo veniam, cedatque in Te verecundia tantillum veritati] *En*, inquit, *Ferdinandum meum, hunc in moribus studii q, tuis imitare. Hic Germanus vos Italos instruit.* Hæc ex ore tanti Pontificis prolata, si quod alicui orationi pondus insit, pro illustri testimonio sunt accipienda. Jam quantus in illo fuerit historiarū amor, & frequenti earum, cujus testis sum, lectione, & scriptione etiam præsentium tum, seu belli, seu pacis rerum, quas sub primam manè vigiliam collectas mente se, mihi assererat, ad calamum dictare solitum, facile arbitrabitur. Et optarem repertos esse, qui hæc ab instructissimo ejus seculi teste profecta, memoriæ posteritatis non subduxissent. Te igitur, *inclyte Princeps*, quis ab illo sole radios collegisse, tãquam aptissimum ad hos excipiendum speculum, neget? Bibliotheca patuit orbis totius in Vaticano celeberrima, ubi Tibi ex floribus historiarum lectissimis succum legere optimum licuit: & neq; animum, neq; consiliū neq; tempus defuisse, compertum est. Testantur prælusiones illæ commentationum Tuarum, quibus si Annalium Paderanæ Diœcesios opus accesserit, cui Tuam aliorumq; eruditorum operam commodas, tum demum, quanta utilitate ac gloria historiis Te impenderis, constabit æternitati.

At fortè dum hæc agis, quæ cetera sunt boni Principis Antistitisq; munia neglectius exequeris. Falluntur, has quicumque sibi, vel de *Tua Celsitudine*, vel de quocunq; alio historiarum amanti Principe cogitationes fingunt. Expendant illam, quæ in Te est religionis per universam

**

sam

D E D I C A T I O.

fam Diœcesin, & alendæ, & promovendæ curam, non usitatis tantùm Pastorum ministeriis acquiescentem, sed operis extra ordinem, usumque consuetum adhibitis, ubicunq; deficere comperta est, instaurantem: considerent vigilantem ubiq; Principis oculum, ut suus Ecclesiæ honor, politicæ æquitas, tranquillitas toti constet reip. ut in foro justitia in templis p̄teras, in Clero sacrorũ amor, in populo observantia vigeat.

Et quorum hæc consilio atq; institutione potissimum agantur, si quis nesciat, dicam ai denter, quod fortè non nemo miretur, non vivorum magis, quàm mortuorum. imitatur credo, Alphonsum, supra quoque laudatum à nobis Arragoniæ Regem, qui optimos suorum Consiliatorum dicebat esse mortuos, ut qui sine adulatione, sine invidia, sine trepidatione, sine corruptione sententiam pronuntiarent Nimirum ex relictis à se scriptorum, præsertim historiæ, in omnẽ sese casum explicãtis, monumentis, maximo huic Regi incorrupta consilia depromebant.

Sed librorum amantes, fortasse quis dicet, plerumq; ofores armorũ sunt. Principẽ verò adversus hostes, patriis sæpè bonis imminentes, fortem adferre animum, manumq; necesse est, quàm stylus magis ferreus quàm plumeus instruat. Verùm ego Ecclesiasticum Principem, pacis magis quàm bellorum amantem laudavero. Si tamen pax citra armorũ usum obtineri nequeat, justa illum defensio purgabit, atq; ex nullius institutione promptiora hauriet, vel belli rectè ordinandũ, vel fortiter exequendi consilia animosq;, quam bellorum diversorum expositrice historiã. Hic tam ex aliorum exemplis rectè administrare, quàm ex offensionibus errores cavere docebitur Hic aliorũ cavere insidias, suasque cautè discet instruere, intuebitur prudenter declinatum hostem, aut fortiter repressũ, coeptas malè aut benè obsidiones, & fortiter disjectas, pacem reperiet in bello insidiosam, & in pace bellum. Stratagemata tam adornare ipse discet propria, quam vitare aliena. Verbo dicã, historia schola militiæ est. Quod tot tantisq; exemplis constat, ut qui adversum pugnaverit, is vel rationem, vel pudorem amisisse videatur. Palladem Veteres studiorum habuere præsidem, neq; aliam ob causã finxere armatam, quàm quod scitè arma prudenterq; juxta ac fortiter tractare doceret. Alexander magnus Achillem, atq; Agamemnonem Hectoremq;, fortissimos Græcorum Duces, sibi ad strenuè bellandum instructores ex Homero deligerat, neq; illum tot inter expeditiones facile de manibus elabi passus est. C. Julius Cæsar, tantus bello vir, nostrisq; in primis Treviris olim metuendus, Alexandri fortitudinem æmulatus, nihil segniter aggressus est, Selimus Turcarum Imperator, ce-

D E D I C A T I O.

terà literarum hostis, Cæsaris rebus gestis, ad quæq; audēda excitatus, Asiæ minoris, Africæq; magnam partem Turcarum imperio addidit. Ipse, quem profero, Carolus tantis gloriæ inter bellandum exarsit ignibus, quos ex Ludovici XI Galliarum Regis gestis per Cominatum vulgatis excepit, tam avido historiarum noscendarum animo, ut quod supra memini & lubens recolo, nec inter epulas quidem ac pocula, harū gustum sitimq; prælectarum amitteret. Jam verò suamet in historia, tot consiliis librata, tot ad bellum pacemq; apparatus instructa, tot eventibus suspensa, tot præliis jactata, tot conatibus vel fortunata, vel irrita, tot regnorum & rerumpub. mutationibus obnoxia, tot in politicis & religione casibus variata, quis neget amplissimum instruendi per exempla Principis campum aperiri, cum non solum præteritarū nobis ejus seculi rerum imaginem oculis ingerat, sed præsentium quoq; in imperio ac rebuspub. tam Ecclesiasticis quàm secularibus mutationum fundamenta originemq; exponat? Vnde hanc *Animam historia aliquot seculorum* appellare non sum veritus. quòd sine fundamentis res gestas cognoscere, sit corpus sine anima possidere. Quocirca & illam ejusmodi offerre manibus Principis, ac sub illius protectionis favorisque umbra prodire in lucem volui, qui eam benevole vultu complexuq; accepturus videretur. neque post congressum primum, subitariamq; lustrationem suis in scriniis, inter Veterum feruta, repositurus.

Verùm sunt, qui Principem suo nimium ingenio atq; eruditione nolint fidere, ne aliorum aspernetur prudentum consilia, imatur suis. Experientiam rerum ajunt magistram esse optimam; historicos plura speculari mala, quam corrigere, laudare bona, quam imitari, audiendo magis, quam legendo Principes ad probatam Reip. administrationem proficere. Non diffitebor quædam ex his recte, quædam tamen & perperam enuntiari. Nemo prudentum Historicorum docebit Principem à Sapientum consiliis deflectere. suo nimium judicio. innocentem: ostendet potius exemplis quamplurimis tales in rerum gubernatione offendisse. At, quis negabit rectius perspicacem, variosque rerum eventus historicorum lectione complectentem animo judicem, & pericula & commoda æstimaturum, quàm qui hæc ignorabit? ipsos inter se dissidentes quandoq; consultores, quis conciliabit, nisi qui ipsorummet noverit suis rationibus ponderare consilia? Quid si, aut adulatione, aut auro, vel æmulatione in perversum acti sensum, cupiditate magis, quàm æquitate causæ rapiantur; quis hic ab ignorante Principe bene consultum speret exitum? Demus verò talibus ejusmodi, qualem Te facimus, *Ferdinandè*, Principem, illustri mente, præcipuos honesti & æqui articulos pervidentem, repente omnes in officio causarum arbitros habiturus est; verebuntur, ut non iniquitatem, certè Principem; argumenta proment, quæ suos minime auctores confundant. Cavebunt, ne in historiam Paderbornensem erubescendo aliquando

D E D I C A T I O.

titulo producantur. Quid? quod sub instructissimo ab omni doctrinæ supellestile primo Prælide, nemo facile nisi probè instructus exercitatusque in literis in hoc consiliorum theatrum sit proditurus. Obtinuisti igitur hoc Tuo, *opime Princeps*, studio, ut indocti Te ultrò iniquiq; fugiant, æqui eruditiq; viri consecretentur, idq; non pœnis aut in alios expenso labore; sed capacissimi ingenii Tui culturâ, quam ut solem non ferunt noctuæ, ita imperiti non possunt intueri.

Sed valetudinis minus firmæ Principem, nonnulli judicant ad alias magis corporis, quàm animi exercitationes traducendum, ne tantum illi subtrahatur virium, quantum illi eruditionis accedit. Mira res, & me in studiis, jam quinque & sexaginta annos natum ab adolescentia versatum memini, pluresq; jam Tecum in aula possides viros, ævo & literis graves, & *Theodorum* laudatissimum Tuâ, ante Te in Cathedra censes avum senio ac honestissimis artibus conspicuum, nihil his ex vita ac valetudine credibile est literarias hæc exercitationes sustulisse, fortè etiam adjecisse ætati, cum moderata prudensq; languentium animorû per amica studia exercitatio in corpus vigorem trãsfundat, dum abstergit tædia, quæ ab otio; & languores, qui à corpore fatigato in ipsam sese animum transfundunt. Duo maximi Arragonum Reges Alphonfus ac Ferdinandus, ille ex Q. Curtii, hic T. Livii præstantium historicorum lectione amissam se hausisse sanitatem professi sunt. Et illius quidem has voces Panormitanus in vita recitat: *Valeat Avicenna & Hippocrates, vivat Curtius, cui debeo sanitatem*. Ferdinando, opinor, excellentissimo Regi, *Princeps doctissime*, tuum non modo nomen, sed & studia sociare perges, tantò etiam facilius, quod Archiatrum, quem Tecum habes peritissimum *Rottendorffium*, ad has lucubrationes Tuas impulsorem magis videam, quàm seductorem.

Hac porrò & ego fiducia erectus, Carolum hunc meum, suo præsertim Ferdinando Fratre in Germaniæ administratione stipatum, pluribus *Tuæ Celsitudini* nominibus provocatus demissa obsequendi voluntatè defero. Antiquæ me benevolentia sapius exploratæ traxit humanitas, impensus deinde omnibus literarum amatoribus singularis favor, inclinatus in Austriacæ domus felicitatem magnitudinemq; animus, neq; solius Herois Caroli, verùm & Ferdinandi celebratum ex eadem gente nomen, ut jam non solum *Princeps* affectu; sed ipso ad tantam familiâ nomine spectare videatur. Deinde & argumenti ipsius propositi excellentia, virisq; Principibus digna, quam & lectione evolvant, & qua vitæ conditio patitur, imitatione meliorum exprimant, fuga verò offensionum declinent. Postremò jucundum mihi fuit tali deferre Patrono tam nobilem historiam, quem & scribere legenda inter historicos noveram, & facere inter magnos Principes scribenda. Tantò enim faciliorem in Principe humanissimo meorum sperabam studiorum Mæcenatem, quantò majorem in illo observabam historicae eruditionis amorè. Vive igitur Doctorum honor decusque *Ferdinande*, vive gloria Principum, vive amor eruditorum omnium, & quam Tibi invidit natura immortalitatem, tribuant hic in terris virtus ac literæ, in cælo Deus.

Ita vovet speratque
Celsitudinis Tuæ devotissimus Cliens
J. M.